



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis**

**Arias, Francisco**

**Monachii, 1648**

Cap. XXXIV. Peccatum mortale tollere animæ pacem, quietem, & consolationem, idemque inquietudinis, belli, ac tormenti causam esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

Peccatum mortale tollere animam pacem,  
quietem, & consolationem, idemq; in-  
quietudinis, belli, ac tormenti  
causam esse.

CAP. XXXIV.

Illustre prorsus, ac mirabile Dei be-  
neficium est, quod homo Christia-  
nus in hac vitâ pacem, quietem, conso-  
lationemque in animâ suâ habeat. Hæc  
enim pax, & consolatio spiritualis in-  
de in primis nascitur, quod is totum  
suum amorem in Deo, & totum desi-  
derium, curamque suam in executio-  
nem voluntatis eius collocet; adeò ut  
ceteras res omnes, quas amat, ac desi-  
derat, propter hunc finem amet, ac de-  
sideret, nimirum quia Deus illas vult,  
& quia ipsum ad exequendam diui-  
nam eius voluntatè iuvat. Et quo-  
niam hic amor non potest ei à quoquã  
contra ipsius voluntatem auferri, ne-  
que hoc desiderium ac sollicitudo ipsi  
ab vlllo impediri; licet enim homines  
possint ei fortunas, & vitam adimere,

R 5

non

non tamen ei possunt nec homines, nec  
 dæmones omnibus mundi, inferniq[ue]  
 viribus adimere amorem Dei, qui in  
 ipso est, cum is tantum pendeat ab au-  
 xilio Dei, & à libertate illius, quæ ipsi  
 deesse non potest: & quamvis homi-  
 nes, ac dæmones possint ei salutem  
 temporalem, & honorem, quem desi-  
 derat, impedire, tamen non possunt  
 omnibus terrenis aduersitatibus impe-  
 dire eum, quò minùs in omni re exe-  
 quatur Dei voluntatem, atque salu-  
 tur; imò ipsæ aduersitates, & contra-  
 dictiones iuuant eum ad placendum  
 Deo perfectiùs, & ad voluntatem il-  
 lius maiore cum perfectione exequen-  
 dam, à diuinâ ipsius manu eam acce-  
 ptando, & ad salutem, vitamq[ue] æter-  
 nam maiore cum securitate, ac merito  
 consequendam, patienter illas tole-  
 rando: Hinc fit, vt nihil sit, quod eum  
 turbet, nec inquietet, vtq[ue] pace, &  
 tranquillitate ingenti fruatur, quem-  
 admodum Psalmista testatur, dicens: *a*  
*Pax multa, Domine, & valde copiosa*  
*a Ps. 118. 165.* cordis

cordis quies est, quæ per tuam bonitatem communicatur omnibus multum ex animo *diligentibus legem tuam*. Procedit quoque hæc pax, & quies ex eo, quod anima Deum pro ultimo fine suo habeat, quodq; cum ipso per charitatem vnita sit; id quod vnicum illud bonum est, quod ab omni sollicitudine, ac turbatione liberat; de quo Christus dixerit: *a Porro unum est necessarium*; nempe vnico cum Deo in hac vitâ per gratiam, & amorem, & in alterâ per gloriam, claramque visionem Diuinitatis. Omnes creaturæ quiescunt, cum ad suum finem, & ad centrum suum, ac naturalem locum peruenerunt; & extra eum non habent quietem, sicuti videmus in rebus grauius terræ, & in igne, qui non quiescit, donec ad suam spheram ascendat. Cum ergo Deus sit centrum, ac finis hominis, & naturalis, supernaturalisque locus animæ eius, non potest extra Deum quietem habere; sed accedens

R 6

dens

a *Luc. 10. 42.*

dens ad eum, seque cum ipso vniens, statim conquiescit. Præterea peruenit hæc animæ pax, & consolatio ex testimonio bonæ conscientiæ, quæ facit, ut sentiat se benè viuere, se esse in bono statu, & Deo placere: quamuis enim nequeat homo naturalem huius euidentiæ, nec infallibilem certitudinem Fidei habere, potest tamen magnas illius habere coniecturas, quæ moralem quandam certitudinem faciunt, quæ in aliquibus Dei seruis valde magna est, & mirificam pacem, lætitiâque spirituales in eorum animabus gignit: quemadmodum enim visus corporeus gaudet rem perpulchram, perbenè ordinatam, proportionatamque cernere, sic animæ visus videns intra se pulchritudinem, ordinemque diuinum virtutum, magnum gaudium, & cælestem consolationem percipit: & inter huius vitæ labores, turbationesque viuit admodum quieta, atque pacifica hoc testimonio propriæ suæ conscientiæ, quod etiam est testi-

testimonium Spiritûs sancti, qui per  
has coniecturas moralis certitudinis  
indicat animæ suam diuinam præsen-  
tiam, & thesaurum gratiæ, quem possi-  
det. Hoc significauit S. Paulus Apo-  
stolus, dicens: *a Gloria. lætitiaque mea*  
*hæc est, testimonium fidele conscientie*  
*meæ, quod in simplicitate, & sinceritate*  
*cordis, in puritate vitæ, & rectâ inten-*  
*tione conuersatus sum in hoc mundo co-*  
*ram Deo.* Oriuntur etiam hæc pax, &  
lætitia spiritualis animæ ex arcanâ  
quadam, valdeque viua spe, quam ha-  
bet, se post hanc vitam bonum infini-  
tum, & æternum cæli gaudium, quod  
desiderat, possessuram. Quemadmo-  
dum bonum semen terræ mandatum,  
postquam fortes in ea radices egit,  
spem agricolæ præbet videndi plan-  
tam, quæ ex illo semine prodibit, fru-  
endi que fructu, & ipse hac spe lætatur;  
sic gratia, virtusque interior animæ,  
quæ æternæ vitæ semen est, homini iu-  
sto dat magnam quandam, valdeque  
certam

R 7

a 2. Cor. 1. 12.

certam spem videndi, fruendique hoc fructu æternæ gloriæ. Et hæc spes ingentem ei quietem, ac solatium affert, quia tollit ab ipso desideria rerum terrenarum, quæ sunt transitoria, & in dies mutantur, affigitque cor eius rebus cælestibus, quæ æternæ sunt, nec possunt alterari. Hoc S. Petrus declaravit, dicens: *a Cum non videatis Christum, oculis carnalibus, eum tamen diligitis, verâque, & firmâ Fide in ipsum creditis, & credentes, sperantesque in eum exultatis de ipsius gloriâ, deque bonis, quæ ab illo accepistis, & speratis vos accepturos, lætitia inenarrabili.* Alia rursus causa, unde hæc animæ pax, & consolatio existit, est, quod homo fidelis passiones, perturbationesque partis sensitivæ, quæ sunt amor, & odium, tristitia, & gaudium temporale, desiderium, & ira, dominas, subiectasque habeat. Hæ enim passiones sunt, quæ inquietudinem, & bellum in animâ excitent, quando sunt vivæ: & quia

a 1. Petr. 1, 8.

quia homo iustus eas exercitio virtutum, ac donorum gratiæ mortificatas, rationique subditas habet, cessat inquietudo, & ille magnâ pace, & consolatione fruitur. Atque hoc est, quod sapiens aduertit, dicens: *a Cum placuerint Domino viæ, & operationes hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem, ad amicitiam, & gratiam ipsius, facietque, vt ex inimicis amici fiant.* Id quod impletur non solum in exterioribus, & corporalibus inimicis, sed etiam in interioribus, & spiritualibus, quæ sunt passiones, quas Deus subijcit rationi, & conuertit ad habendam cum spiritu pacem, & amicitiam conformando se cum ipso. Hæc animæ pax, quies, & consolatio, ex istis spiritualibus, ac diuinis causis oriunda, per peccatum mortale tollitur. Nam priuat illud hominem amore Dei, viuoque salutis suæ desiderio; detorquet eum à suo vltimo fine, qui est ipse Deus, & eidem aufert testimonium bonæ conscientiæ,

*a Prou. 16. 7.*



scientiæ, spem viuam celi, & subiectionem passionum; tollensque ei causas pacis, & consolationis, tollit quoque ipsi pacem, quietem, & quæ inde perfluit, spiritualem lætitiã, & in animã ingens bellum, magnam inquietudinem, grauiãque tormenta excitat. *Non est pax impijs, dicit Dominus.* <sup>a</sup> Et huius inquietudinis, belli que causa est, quia peccatum mortale, cum Dei, ac cælestium bonorum amorem auferat, implet cor innumerabilibus, ac varijs terrenarum rerum desiderijs; nunc vnum honorem desiderat, nunc aliud; nunc istam dignitatem, & officium, nunc illud; nunc hoc lucrum, & hanc voluptatem, nunc illam; & cum hæc desideria vel impleri nequeant, vel magnã cum difficultate impleantur, ingentem cruciatum mouent. Ac tametsi quædam implentur, cum cor non fatient, nec expleant, in eadem illud afflictione, quam prius habebat, relinquant: & sic quot res impij desiderant,

a *Is. 48 22.*

rant, quas obtinere nequeunt, vel quæ  
obtentæ ipsorum desiderio non satis-  
faciunt, tot habent gladios, qui cor eis  
transfigunt; adeoque impletur Pro-  
phetæ dictum: *a Impij sunt quasi mare  
feruens. quod quiescere non potest* Quem-  
admodum enim mare, cum æstuat, in-  
quietum, turbidumque est, & fluctus  
in cælum iactat, qui ijdem mox in  
abyssum descendunt; sic cor impij to-  
tum inquietum, turbatumque est, &  
nunc per desideria, ac spes vanas, &  
prosperitates temporales in altum  
ascendit, nunc per animi depressio-  
nem, pectorisque angustias, & res ad-  
versas ad ima decidit. Additque Pro-  
pheta, impios esse sicut *fluctus*, qui ex  
mari *redundant*, & fiunt *lutum*, quod à  
viatoribus *conculcatur*: sic enim illi per  
peccatum vilissimi fiunt, & à dæmoni-  
bus in infernali carcere æternis suppli-  
cijs conculcantur. Hæc est vna præci-  
pua inquietudinis, ac tormenti impio-  
rum causa. Altera turbationis huius,  
&

a Is. 57, 29.

& molestiæ causa est, quia peccatum mortale tollit testimonium bonæ conscientiæ, & relinquit in animâ quendam remorsum, qui est instar crudelis carnificis die, ac nocte ipsam torquentis, & instar alicuius vermis Tartarei, qui rodit eius viscera, nec ullam quietis partem ipsi concedit. Recordans homo peccata præterita contra Deum à se commissa, sequè propterea æternorum tormentorum reum; & aspiciens mentis oculis deformitatem, & inordinationem peccati mortalis, in quo de præsentis iacet; considerans item periculum, in quo est, moriendi in illa, damnationemque incurrendi; non potest pacem habere, nec quietem, sed tantum tormentum, & anxietatem; atque ita ipsum suum inordinatum cor testis, & iudex contra eum est, accusans ipsum, & castigans, & crucians. Adimit quoque ei peccatum vivam, quam habebat, suæ salutis spem, quæ ipsum exhilarabat; & sic tristis, pauidusque manet ingenti dubio, & suspitione,

eion  
It  
fiat  
dom  
solu  
turb  
cont  
gant  
torq  
te al  
catu  
nem  
nem  
nun  
rius  
Atq  
S. Pa  
tio D  
rum  
omne  
lum.  
tale  
bis p  
tam,  
inqui  
a

eione, quam habent, suæ damnationis. Item amittit frænum gratiæ, & mortificationis, quo passiones suas subiectas, domitasque tenebat; & ita hæ viuæ, ac solutæ sunt, & magnum ei bellum, ac turbationem mouent, quia rebellant contra spiritum, eumque sibi subiungant, ei dominantur, eum affligunt, & torquent, sicut tyranni ab omni pietate alieni. In hunc modum tollit peccatum mortale pacem, & consolationem ab animâ, excitat in eâ turbationem, & tormentum, facitque, vt iam nunc incipiat sentire tormenta alterius vitæ, quæ æternùm duratura sunt. Atque ita impletur in eis id, quod dicit S. Paulus: *a ira diuinæ iustitiæ, indignatio Dei, tribulatio dolorum, tormentorumque, & angustia cordis cadent in omnem animam hominis operantis malum.* Quoniam igitur peccatum mortale habet hunc effectum, tollendi nobis pacem, & quietem tanti æstimatam, desideratamque ab hominibus, & inquietudinem, ac tormentum (quam  
a *Ad Rom. 2.9.* rem

rem humanum cor tantoperè odit, & horret) inuehendi, faciamus, quantum possumus, ne ei consentiamus, quæque commisimus, per pœnitentiam ex animâ eliminemus. Laborant totâ suâ vitâ homines in re faciendâ, vt paululum quietis in senectute habeant: & qui in Indijs sunt, periculosas longinquæ illius nauigationis ærumnas subeunt, vt postea in patriam reduces quiescant, fruanturque ijs, quæ tanto labore collegerunt. Et nos igitur exiguo tempore laboremus, resistentes peccatis, eorumque pœnitentiam agentes, vt in totâ præsentî vitâ pacem, ac tranquillitatem, & in futurâ quietem, gloriâque æternam habeamus. Obediamus Apostolo dicenti: *a Pacem sequimini cum omnibus, cum Deo, cum hominibus, & cum vestro corde; laborate, quantum potestis, in acquirendâ eâ, conseruandâque; sequimini item, & procurate sanctimoniam, ac mundiciem animæ, sine quâ nemo videbit Deum.*

*a Ad Heb. 12. 14.*